

EXERCITATIO ACADEMICA
DE
OFFICIO
IUDICIS ET CLERICI
IN ACTV ADMONITIONIS
DE VITANDO PERIVRIO
EORVMQVE
HONORARIO



QVAM
AVTHORITATE SVPERIORVM
PRAESIDE
GVSTAVO HENRICO
MYLIO ICTO

ASSESSORE CVRIAE PROV. SVR. ET FAC. IVR. LIPS.

PVBLCO EXAMINI SISTIT

OTTO IACOBVS WOLFF

FREYB. THVR.

LIPSIÆ DIE VIII. AVGVSTI MDCCLXXXVII.

LITTERIS BREITKOPFIANIS.

... ..
... ..
... ..



Quanquam eleganter omnino & vere philosophari videatur C I C E R O pro Q V. ROSCIO COMOED. C. XVI. non ex pactione verborum, quibus iusiurandum comprehenditur, sed ex perfidia & malitia, per quam insidiae alicui tenduntur, Deos immortales succensere & irasci hominibus solere, nescio tamen an veritati conueniat, quod exinde collegit, qui mentiri solet, eum & peierare facile, & qui, ut mentiatur, induci potest, eum ut peieret exorari facile posse. Cum enim Orator alio loco a semet ipse dissentiens v. Paradox. III. cap. II. causssae ac tempori aliquid dedisse, & quod pro A. C L V E N T I O AVITO §. 50. ait: *Orationes suas Causssarum ac temporum, non ipsorum hominum aut patronorum esse*, luculento exemplo comprobasse videtur, (a) tum quotidiani & a M A R C I T V L L I I aeuo ad nostram vsque tempestatem producti hominum mores, ipsaque rerum argu-

menta aliud omnino ostendunt. Quos enim nullus pudoris honestatisque sensus officii sui finibus continere, adque verum dicendum adigere potest, illos saepe rerum fortunarumque suarum aut sanitatis, (b) quod metuent, quodque in iurando quasi data opera & sponte sua sibi optant & postulant, detrimentum absterret, quo minus propinquam & quae ante pedes sit, perniciem citato gradu irruant. Quod proinde saepe alias & prudenter fecerunt Romani, ut non modo praescriptis & non temere immutandis verbis rem omnem peragerent, sed solennibus etiam ritibus & symbolis ad maiorem attentionem aut reuerentiam vagantes & instabiles hominum sensus erigerent, illud inprimis in iurisiurandi, si quod ab homine exigeretur, religione iactitasse comprobant tot ac tam variae solennitates, quibus iuratos quasi in praesentem rem deducere & diuinae vindictae formidinem incutere summopere allaborarunt. (c) Quemadmodum enim hoc Consilio excogitatae fuerunt legitimae illae & horrendae, quibus se lubentes quasi & ex animi sententia diris omnibus deuouere & si scientes fallerent, caput suum, domumque suam & sua omnia Deorum irae consecrare videbantur, formulae, quas collegit, qui incredibili labore & solertia *de Formulis* exposuit Iureconsultus Gallus *Libb. VIII*. Ita nec aliunde descendit constans illa iuratos homines in Deorum quasi conspectum producendi, inter ipsa sacra, & in iis, quae religio occupasse censetur locis, horrendum illud execrationis Carmen recitandi consuetudo. (d)

(a) v. TH.

- (a) V. T. H. REGN. DE' BASSEN *de Iureiurando veterum, imprimis Romanorum*, in Prooemio.
- (b) Veteres statim in mentientium aut peierantium naso tumescere credebant maculas & pustulas, quorsum referunt *Ψεύδωρα ἔνωσ*, *mendacia nasi*, apud Theocritum, & multas illas *vibices* apud Persium Satyr. 4. v. 49. quas improbus foenerator crebris periuriis & mendaciis sibi conciliauerat. IOH. BAPT. HANSEN *de Iureiur. veterum cap. II.*
- (c) Solennia illa tum verborum tum symbolorum pluribus exposuit ALEXANDER AB ALEXANDRO *Genial. Dier. Lib. V. cap. X.* SETSERVS *de Iuramentis Lib. I. cap. XV.* nec tactis solum Euangelis sacrosanctis, sed iis etiam in manu positis iurasse, qui officia susceperunt, docet *Constit. IX. Nouell. GREGORIO HALOANDRO* interprete: *Testor ego iurando omnipotentem Deum &c. & quatuor Euangelia, quae hisce manibus teneo.*
- (d) Vota execratoria iuramento a Iustiniano in *d. Nouell. IX.* praescripto haec adiecta leguntur: *Quod si non omnia haec, ut dixi, obseruauero, omnibus incommodis ero expositus tam hic, quam in futuro seculo in horrendo Iudicio magni Domini Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi, habeboque partem cum Iuda & Lepram Giezi, & tremorem Cain ultra hoc, quod etiam poenis lege eorum (Iustiniani ac Theodora) pietatis comprehensis ero obnoxius.* Hoc tamen ad Errores Iustiniani refert ERASM. VNGEPAVR in *Diff. de Error. Iustin. Pos. I.*

§. II.

Quod si gentium plerarumque historiam & instituta perquiramus, facile inueniemus a Barbaris ad Graecos, & ab his ad Romanos productum, indeque latius & ad alios quoscunque manasse morem, eos, qui iureiurando se obstrinxere, quasi Diis coram sistendi, in locis Deorum alicui dedicatis, delubris, fanis, aedibus, tactisque

aut altaribus, aut iis, quae in altaribus posita erant, simulacris, cereis, ignibus, hostiis, sacramentum exigendi & accipiendi. Carthaginensem Deum Hannibalem teste AEMILIO PROBO *in vita eius cap. II.* POLYBIO *Lib. III. Hist.* LIVIO *Lib. XXXV. cap. XIX.* admotum aris, dum sacrificaret, easque manu tenentem pater iurare iussit, nunquam amicum fore populi Romani. Apud Graecos olim inprimis celebre frequentibus iuramentis fuisse Proserpinae, Cereris aliaque delubra, PROBI *Vita Dion. Cap. IIX. mulieris Callicratem in aedem Proserpinae deducunt, ac iurare cogunt, nihil ab illo periculi fore;* PLUTARCHI *in Dione: Videns autem Callippus mulieres rem accurate exquirentes & scrutantes, venit ad eas negans & lacrymans, & fidem, quam vellent, dare volens; illae autem postulabant, ut magnum iusiurandum iuraret, quod erat tale: Descendit in templum legiferarum Deorum iis, qui fidem daturus est, & interea dum sacra quaedam sunt, amictum Deae purpureum induit, & tenens manu facem ardentem iurat,* aliorumque testimonia comprobant. Quantum ad Romanos attinet, res peruulgata est & compertior, quam ut longiore probatione opus esse videatur, quod qui publicum Iuramentum iuraturi erant, & in Deorum aedibus id fecerint. Collegit ea, quae vtrumque hoc extra dubitationem ponunt, autorum veterum loca praeter alios data opera, eiusque rei nobis otium fecit laudatus BASSENIUS *de Iureiur. Vet. Rom. Cap. III. IV.* Adiciemus nos, ut ne a symboli videamur vel bina: IVSTIN. *Lib. XXIV. Cap. II. n. 8. Quo perducto*
in

in sanctissimum Iouis templum veterrimae Macedonum religionis, Ptolomaeus suntis in manus altaribus, contingens ipsa simulacra & pulvinaria Deorum, inauditis, vltimisque execrationibus adiurat, & APPIANI ALEXAND. de Bello Ciuili Lib. II. p. 564. Deum, in cuius fano nunc sumus, testamur vel in praesens, vel in futurum, & in hoc publico iureiurando adhibebant Pontifices, qui eius verba praeirent, (a) ad quos etiam quaestiones & Iudicia de periuriis quam maxime pertinuisse CICERO auctor est in Lib. II. de Legibus Cap. IX. & XV.

- (a) Conf. quae VAL. MAX. Lib. VIII. cap. I. n. 5. de virgine vestali Tuccia refert, quae spem salutis ancipiti argumento ausa est petere. Arrepto enim cribro dixit: *Vesta, si sacris tuis castas semper admoui manus, effice, ut hoc hauriam e Tiberi aquam & in aedem tuam perferam.* Audaciter & temere iactis votis sacerdotis rerum ipsa natura cessit.

§. III.

Quae omnia cum propterea facta esse credibile sit, quod Iuramentorum religio & sanctitas id postulare videbatur, non miramur ipsos etiam Iudaeos aliud vsu non seruasse, sed in Synagogis, eoque loco, in quo sanctum Legis volumen reconditum erat, iuramentum praestitisse, ipsumque sanctissimum volumen manu amplexos esse. Inde MAIMONIDES Cap. XI. §. II. Constit. de Iureiurando, *male facere Iudices monet, qui ad iurandum alios adigant, nullam plane rem manu sua tenentes, quum iurantes librum Legis manu sua tenere debeant.* Ictus religio-

religiosissimus BRVNNE MANNVS quoque (a) in ea est opinione, apud Iudaeos olim iusiurandum vel in templo Hierosolymitano, vel in eius conspectu, vel facie ad templi situm conuersa praestitum fuisse, motus precum formula, qua Rex sapientissimus hanc sacram aedem DEO sacrabat *Lib. I. Regum vers. 31.* Wenn iemand wieder seinen Nächsten sündiget, und nimmt des einen (Reinigungs) Eyd auf sich, damit er sich verpflichtet, (daß er unschuldig sey,) und der Eyd kommt vor deinen Altar, in diesem Hause &c. Ex curatorum horumue Iudaeorum synagogis facile in Christianorum templa descendit idem mos iurare in sanctis, super reliquias sanctorum, & nunc proposito, nunc tacto sancto & salutari Euangelii volumine, vid. CANGII *Gloss.* verbo: *Iuramentum*, item: *iurare super plura altaria*, GREG. TVRON. *Lib. I. mirac. Cap. 20.*

(a) In *Tractatu Posthumo de Iure Ecclesiastico Lib. III. Cap. V. §. 10.*

§. IV.

Apud veteres Germanos etiam hunc ritum moremque obtinuisse loquuntur *Capitula Karoli Magni & Ludouici Pii apud LINDENBROGIVM Lib. VI. cap. 209. & Leges Longob. Lib. II. Tit. 55. c. 21. ut omne sacramentum in Ecclesia & super reliquias iuretur, & quod in ecclesia iurandum est, vel cum sex electis, vel si XII. esse debent, quales potuerit inuenire: sic illum Deus adiuet & illi sancti*

sancti quorum istae reliquiae sunt. Nec dubium esse crediderim cum laudato BRUNNEMANNO ad maiorem reuerentiam circa iuramentum adhibendam hodie facere posse, si actus iurandi in causis, Consistorialibus potissimum, in loco sacro seu templo perageretur, quam ICTUS Halensis IAC. FRIED. LVDOVICI (a) qualitatem loci nullius fere momenti esse opinari videatur. Cum AVGVSTINO potius *Epist. 137.* sentio, qui in casibus dubiis & reum & actorem remittendos esse suadet, vt iurent in locis sanctis, quo iurantium conscientiae terribilis Dei operibus aperiantur, quod factum olim in aede Paulina nostrae ciuitatis, cum solenne iusiurandum in matrimoniali causa praestaretur ex Decreto Consistorii Lipsiensis. (b) Recte igitur nec hodie cessarunt religiosi eiusmodi, & ad excitandam aliquam reuerentiam comparati iurantium ritus. Vt enim nunc illos, qui solennitatis causa solum adhiberi videntur, omittam, vel crucis vsus, accensa luminaria, & quod adhiberi quandoque solet cadauer capitis defuncti, religionem maiorem incutere debent ei, qui iuraturus est. Ad hos ritus forte etiam referendum, quod iuramentum non raro in conspectu verbi diuini Ministri, illoque momento exigi praestarique soleat. Quem modum admonendi cum Dn. GOTTLÖB FRIEDERICVS HELBING sub auspiciis Excell. Praesidis ante aliquot annos (c) pertractauerit, ea vero, quae praeprimis ad *Officium* ipsum admonendi & *Honorarium* pertinent, intacta remanserint, horum spicilegium instituere, & quae

circa has partes sese mihi obtulere non omnino proleteria, aut in triuiliis obuia colligerē iuuat.

- (a) V. Eiusd. *Einleitung zum Consistorial-Proceß Cap. XI. §. 9.*
 (b) Haec acta publica loquuntur & refert Aduocatus Consistorii famigeratissimus HENR. ZIFFELIUS in *Traët. de Cambiis* p. 749.
 (c) In *Diff. de Admonitione de vitando periurio, quae fit per Clericum*, Anno MDCCXXXIII. conscripta. vid. §. I. & §. XIII.

§. V.

Periculosa res est iusiurandum, vt vix vnquam circumspēcte fatis prospicere possit seu Legislator seu Iudex, vt illi, qui ad iurandum admittuntur, vere & ex animi sententia asseuerent, nec periurio fallant. Probi ergo & prudentis IVDICIS officii ratio exigit, non temere quenquam ad purgationem hanc iudicalem admittere, nisi quem ante omnia de grauissimo scelere periurii, & quae periuros sequi solet poena, monuerit ipse, simulque SACERDOTE M ad eandem operam adhibeat, quoties illud vel eius, qui iuraturus est, persona, vel facti ratio flagitet. (a) Ita enim comparati sunt plerique hominum, eos vt praesentia Confessionarii & alloquium ministri verbi Diuini, & reliqua omnia, quae reuerentiam quandam incutiunt, magis moueant, quam conquisita altius cuiuspiam in eam rem argumenta, imo quosdam superstitio tenet, iusiurandum esse speciem & partem quandam cultus diuini vsque adeo, vt relegati non-

nonnunquam vrphedae se deiurio vinciri propterea negent, quod absente parocho eandem recitauerint, (b) quanquam & illud experientia doceat, haud raro & parochum nequicquam arcessi, darique homines ita praefractae duraeque frontis, vt vel ad trecentorum Clericorum conspectum vix horreant, sed eosdem irretorto oculo intuti per omnia sacra peierent. Imo quod majus scelus est, profligatissimi & perditissimi nebulones salutaria monita vel ideo saepe non audiunt, quod a Clerico veniant, quae ab alio forte suae conditionis homine facile & audirent, & sequerentur. Quae cum ita sint, plurimum sane interest, vt cum Iudice Ecclesiastes munere suo in admonitione rite perfungatur, quod argumentum pluribus nunc persequemur. Illa vero omnia, quae hoc in negotio obseruare debet tum Iudex tum Clericus, ad tria potissimum capita reducenda esse existimamus, nimirum quaedam *ante actum*, quaedam *in actu* ipso, reliqua *post actum* admonitionis aut iurandi notari merentur.

- (a) Prosequutus est ea, quae circa purgatorium & admonitionem in caussa criminali notanda veniunt, eleganter, vt solet Ictus Saxonicus CHR. IAC. HEIL in *Tract. Crim.* quem inscripsit: *Iudex & Defensor in Processu inquisitionis Cap. IV.* quo Actuarius & Defensor carere vix potest.
- (b) Nimirum quod hoc loco memoriam subit, memini aliquando eam, cui patria interdicta erat, & quae vrphedam praefliterat, hoc est: inreirando suam de non redeundo promissionem confirmauerat, in terras, vnde exire iussa erat, rediisse, idque factum hoc praetextu excusasse: Vrphedam non esse solenne, quod seruari oporteat, Sacramentum, vtpote quod non Sacer-

dote praesente recitetur. Conf. Acta Inqu. cum Sent. Scab. Lipf. *menfe Maio 1715. ad Pract. Lipf. contra N. Müllerin dicta*, vbi in Rat. Dubit. Ob sie nun wohl vorwendet, sie hätte deswegen sich wieder anhero begeben, weil die Leute gesagt, es sey der abgelegte Urpheden kein rechter Schwur, indem kein Priester dabey gewesen ic.

§. VI.

Ad IVDICIS ergo officium spectat, vt I) admonitionem de vitando periurio per Clericum ex Iureconsultorum sententia (a) faciendam iuraturō annuntiet, diem huic actui praefigat, & quae iureiurando continentur facta mediante formula ex verbis sententiae concipienda (b) simul ipsi communicet. II) Minister verbi divini, & quidem in ciuitatibus ille, qui iuraturō a confessionibus est, (c) literis requisitorialibus, quas vocant, vt hanc Spartam admonitoris in se suscipiat, inuitandus, requisitio Superintendentis vero licet in vrbe, vbi illud obtinet, (d) haud negligenda sit, vbique tamen & in pagis maxime eam necessariam esse, adeo vt Pastor munere hocce absque praescitu Ephori defungi non possit, vix crediderim, cum ille plerosque actus ministeriales, extraordinarios quoque sine consensu speciali superioris expediri possit ac debeat. Ante actum etiam vt Confessionarius ad modum vifitationis domesticae iuraturum in eius aedibus de vitando periurio moneat recte curabit, maxime illos, qui vix pubertatem transgressi, & tamen ad purgandum se, vel asserendum aliquid apti, quod hic Lipsiae mense Maio MDCCXXXIV.

cum

cum puella XVI. annorum iuraret, factum in causa infanticidii. Hinc literis ad pastorem directis insertum legi: Ob dieselben dergleichen admonition auch vorher bey dieser Seelen-Gefahr priuacim zu thun vor gut befinden, wird Dero Ermessen anheim gegeben. III) Acta personam iuraturi quae respiciunt, ante hunc diem termini Clerico communicanda sunt, vel saltem copiae eorum, quae iuriurando continentur, quo ipse in facto, quod aiunt, qualem qualem acquirat notitiam. Licet enim semper plenior ex ipsis Actorum voluminibus capi possit informatio, suadet tamen saepe in causis inquisitionum praegnans ratio, vt ea inspiciendi facultas omnibus, qui non personam vel Iudicis, vel actuarii, vel scabini sustinent, denegetur. Equidem ad sacerdotes nostrae Ecclesiae grauis illa adhortatio, & ea, quae circa suggestiones, Confessionariis quibusdam proprias in *Ord. Crim. Car. Artic. XXXI. CIII.* monentur, vix ac ne vix quidem quadrant, nec Clericus, quae sub sigillo silentii ipsi concedita sunt, peruulgare velle censendus est. Quod si vero vel nomina sociorum criminis, vel suspiciones, vel gradus torturae, vel sententia sub conditione aut praesupposito contra reum concepta, reticenda sint, recte iudex eorum, quae ad instruendum Sacerdotem faciunt, copias fieri curat, aut ea, quae celanda sunt, ab actis, si fieri potest, remouet, aut filo compingit, & partes eius extremas sigillo munit. Iisdem de causis acta, inquisitionalia potissimum, ad domum Parochi raro mittat Iudex, vt potius in loco Iudicii, si ipsius voluminis in-

speciōnem causae ambitus exigat, illud exhibeat, & Pastorem aduocare verbis honorificis curet.

- (a) Absque iussu enim superioris vel Dicasterii cuiusdam admonitionem Sacerdotalem in Iudicio minus recte iudex fuscipit, quod in alleg. Diff. Dn. Praefidis §. IV. dictum.
- (b) Caueat iudex, vt ne suppleat quoad formulam iurisiurandi, ea, quae forte a Ictis omni studio ad restringendam fraudem referuationis mentalis omissa fuerunt, & ad circumstantias temporis, loci, sociorum &c. pertinent.
- (c) De Confessionario potius, quam alio ex Sacerdotibus adhibendo pluribus argumenta fuerunt exposita in alleg. Diff. §. X.
- (d) De hoc enim casu potius accipienda esse ea, quae in d. Diff. §. XI. & ad d. §. lit. f. Superintendententi vindicata sunt iura, putauerim.

§. VII.

Haec Iudici incumbunt. Minister Ecclesiae vero obseruet

I. vt non nisi praeuia superioris aut Iudicis auctoritate iussuque, nunquam vero ad preces & desideria priuatorum, caussidicorum, hominumque ignotorum sese ad aedes priuatas sistat, eosque, qui coram Notario & Testibus, aut magistratu quouis incompetente iurisiurandi Sacramento sese offerunt, & quasi obtrudunt, admoneat. Solent enim, qui reos torturae subtrahere volunt callidi defensores cautelae loco nonnunquam id agere, vt purgare eos ante tempus, & absque prudentum Consilio praesumant, quo innocentiae, quam soli credunt, aliquam speciem ostendant, & fidem praesumptionis

tionis bonae ipsis concilient. Quod facinus cum per se reprehensione dignum sit, nec impunitum maneat, Sacerdoti sane, qui ad cuiusuis nutum & priuatos lares se euocari passus est, & actum, irritum plerumque, agere ob lucri odorem haud erubuit, opprobrio est vsque adeo, vt fulmen reprehensionis, quod per sententiam vtplurimum aduocatum Defensorem ferit, ecclesiasten simul tangat. Illicitum eiusmodi factum defensoris recenset GEORGIUS KEYSERVS *Praefectus Altenb. in Praxi Criminali bipartita Cap. V. §. XXIV.* ex actis. Cum enim reus adulterii inquisitionem specialem, quam vocant, auertere defendendo optaret, Aduocatus vt omnem moueret lapidem inculpatum tanquam testem, qui ad articulos defensionales & iis iurisiurandi purgatorii formulam insertam examinetur, nominauerat (a) & iudex inquirens, quod vix credibile est, non solum petitis hisce, sed & reliquis, quibus clericum admonitorem adhiberi desideraret, annuebat, vterque non sine graui censura, quam sententia iis denunciabat. (b)

II. Quamuis omnis confessionarius optimam eorum, quorum curam animae in se suscepit, notitiam habere debeat, cum absque ea de illorum fide, poenitentia & vitae emendatione, sanctitateque vix certus esse queat, & in pago saltem Pastoris animarum conscientiam in eo tranquilliozem reddere possit paruus peccatorum, pauperum quoque, numerus, quam in pulcherrima & florentissima vrbe nubes peccantium maxima ex parte incognita; Ast vbi specialis cura admonendi ob animae peri-

periculum suscipienda est, multum refert, an Clericus grauatam suspicionibus quod ad vitam, mores, vitia & praecipue quoad cognitionem de Deo, eiusque omniscientia, certissimo vindice iuris peierati, de natura perii & reseruatione malae mentis probe cognitum habeat. Alia enim ratio erit in iuratore, qui vitam agit sobriam, alia in iis, qui sunt proceres gulae, & vinum Consulare amant quotidie. Aliter monendus est vir religiosissimus, aliter ille, qui Deum non esse, vel rerum humanarum curam non agere credit, aliter homo, qui, vt T V L L I I verbis vtar, totus ex fraude & mendacio factus, quique ea vitia, quae a natura habet, etiam studio atque artificio quodam malitiae condit, aliter qui pietatis prae se fert umbram, tristemque vultu vendit sanctimoniam, conscientiam vero non nisi auream habens. Huius autem conditionis certior fieri poterit Poenitentarius, si quando ante diem iuraturum ad suas aedes vocet, vel, quod omni etiam Confessionario incumbit (c) domesticam instituat visitationem.

(a) Artificium callidum ipsissimis verbis adscribam:

1) Verba Defensionis: So hat er doch &c. lieber gar in antecessum (sein gutes Gewissen hiedurch desto mehr zu eröffnen, und diese Defensionen-Kosten nicht umsonst seyn zu lassen,) iurato sich purgiren, und daß er mit dieser Bettel sich fleischlich nicht vermischet, coram iudice competente, und zwar mit Zuziehung eines Geistlichen, nach satissamer Verwarnung für der schweren Straffe des Meynendes, more solito schwören wollen, worvon allenthalben das Instrument sub No. 3. insonderheit aber inculpati ad Articulum 11 & 12. gethane eydliche Aussage, & praestitum iuramentum, mit mehrern besaget.

II) Ro-

II) Rotulus testim. Zu wissen, waldhergestalt Herr N. N. Aduocatus zu R. die hiesigen Gerichte unterm 17 hui. schriftlichen ersucher, daß, weil er zu Vollführung M. K. allhier vorgehenden Defension, pro auertenda Inquisitione, dessen eigene Auf- sage über zugleich mit beygefügte Articul vonnöthen hätte, man mit Zuziehung des Herrn Pfarrers (um R. vor der schweren Straffe des Meyneydes desto kräftiger abzumahnen) und eines Notarii, ihn förderlichst über beregte eydliche Articul vernehmen ic. Wann dann dieses Suchen nicht wider Recht, und dahero keinesweges abgeschlagen werden können: Als hat man zu dieser Zeu- gen Verhöre Gerichtswegen nicht nur den Pfarrer allhier, Tit. Hrn. Hrn. M. mündlich, sondern auch Tit. Hrn. H. M. E. Not. P. Caesar. in Schriften requiriret, und hiernechst M. W. uf heu- tigen Tag anhero vor Gerichte beschieden &c.

Articulus XII.

Immaßen wahr, daß Zeuge nachfolgende Worte:

Ich M. K. schwöre zu Gott mit Herz und Mund, einen wahren leibl. Eyd, daß ich mit S. iſo M. zu S. Eheuweibe, mich fleisch- lich nicht vermischer, so wahr mir Gott helffe und sein Heil. Wort, Jesus Christus, Amen!

mit guten Gewissen nachsprechen könne?

Nota: Bey diesem Articul wird gebethen, daß, wenn Zeuge solchen mit: Ja, beantwortet, die eingerückten Worte, und Inhalt des Inra- menti purgatorii, von Wort zu Wort deutlich selbst nachsprechen, und die gewöhnlichen Ceremonien, mit Aufreckung der Finger, und sonsten darbey in Acht nehmen zu lassen, worbey so wohlten die Gerichte, als auch der Herr Pfarrer, an Zureden, daß der See- len Seeligkeit hierbey in Gefahr, und er sich dahero wohl zu be- denken und in Acht zu nehmen, damit die wenige zeitliche Straffe der ewigen unaufhörlichen Marter und Pein nicht vorgesezet, oder mehr gefährdet werde, es hoffentlich nicht ermangeln lassen werden.

Resp. Ja, das könne er mit guten Gewissen thun.

Als er vorhergehenden Articul mit: Ja, beantwortet, haben so wohl die Gerichte, als der Herr Pfarrer, ihn nochmalts vorm Meyneyd, und dessen schwerer Straffe, treulich verwarnt, worauf er gesagt: Er wüßte wohl, daß, weil sein Weib für ihn schon intercediret, es ihm, wenn ers gleich gethan hätte, und das, weissen er von der leichtfertigen Bettel beschuldiget worden, gesunde, das Leben nicht kostete, allein er könnte, daß er unschuldig wäre, und ihm die lose Bettel zur Ungebühr beschuldiget, mit guten Gewissen schwören, maßen er diese Worte:

Ich M. K. schwöre zu Gott mit Herz und Mund einen &c. vt supra, more consueto würcklichen nachgespröchen.

- (b) Illa autem huius erat tenoris: Anlangend den Defensorem, ist so wohl demselben, als dem Gerichtsverwalter, ihr unsörmliches Bornehmen, sonderlich, daß jener den Inquisiten selber, als einen Defensional-Zeugen anbringen, ja in die Articul einen Reini-gungs-Eyd bringen, und diesem, daß er den Inquisiten also abge-höret, auch isigedachten Eyd ablegen lassen, vor dieß maß ernst-lich zu verweisen, mit Verwarnung, daß sie beyde dergleichen bey Vermeidung anderer Verordnung sich enthalten sollen &c.
- (c) De hoc munere domestico eiusque necessitate legi merentur, quae prolixè docet BRUNNEMANNVS & cum eo STRY-CKIVS in *Iure Eccles. Lib. I. Cap. VI. Membr. II.* vbi simul §. IX. X. XI. XII. XIII. iis, quae vulgo obiiciuntur, ex asse re-spondet. Conf. IOH. FECHTIVS de *Domestica auditorum visitatione ab ecclesiae ministro institucunda* & THEOPH. GROSS-GEBAVERVS, qui in *Tract. die Wächter-Stimme* inscripto, multos quidem in Ecclesia nostra reperiri Doctores, sed paucos vigiles & Pastores, conqueritur, additque: Je größer die Ge-meinden sind, ie größer ist die Unwissenheit der Prediger an ihren Pfarr-Kindern. Da kennen wir die meisten nicht, weder nach ihrer Person, noch nach ihrem Leben: sondern predigen ihnen so in gemein hin &c.

Tum vero priuatim illum, vt conscientiam suam examinet, religionem iurisiurandi, periurii grauitatem poenamque extimescat, nec crimen crimini adiciat, monere, mentem ac animum ferreum precibus commouere, & ea omnia, quae illius innocentiam, quam iactat, dubiam reddunt, fidissime & amicissime proponere, quae autem verissima sunt, expiscari poterit. Tanta enim inuasit hominum animos hodie superbia & tumor inanis, vt nemo fere se admoneri aut corrigi sustineat, maxime ante aliorum oculos, vt taceam hanc ipsam esse opportunitatem & loci & temporis aperte atque ingenue aliquid confitendi, absente iudice, & bonam aut malam mentem declarandi. Qua de causa vbi res ita postulat per sententiam quoque, vt Clericus ante publicam admonitionem priuatam suscipiat, iniungi solet, (d) illumque monendi modum comprobat IOH. SAM. STRYCKIUS in *Diss. de officio Iudicis circa peieraturum vel otiose iuraturum* §. XXIV. & IAC. FRIED. LVDOVICI *Intr. ad Proc. Crim. Cap. XI. §. 51.* & CHR. IAC. HEIL in *Tract. Crim. Cap. IV. §. 19.* Illud quoque hoc loco non praetereundum est, publicam adhortationem de cauendo periurio e suggestu faciendam Legibus Imperii nostri, praeprimis in *Reform. Pol. de anno 1530. 1577.* Tit. von der Gottes-Kasterung, it. von Warnung auf der Canzel, pastoribus ecclesiasticis iniunctam legi, adeo, vt singulis diebus dominicis auditores suos de maledictis & periuriis vitandis admonere debeant, cuius Summi Magistratus constitutionis hodie paucissimi sunt memores.

(d) Hanc suscipiendam esse cum Aduocato A. L. in Deum maledico magnopere censerebat Ordo Iurec. Lips. *M. Nov. 1733.* versus Reichenbach, per verba: Er ist aber nichts desto weniger nach vorgehender scharffen und nachdrücklichen Verwarnung vor der schweren Straffe des Meyneydes, woben auch ein oder mehr Geistliche, nicht nur in die Termini, sondern auch einige Zeit vorher zu ihm zu gehen und ihn zu unterrichten, zu gebrauchen etc. cui aliud exemplum admonitionis priuatae iungo ex sent. eiusd. Ordinis *M. Iunio 1716.* lata versus Kofla: Es ist auch vorhero Inquisite wegen der, inhalts der Registratur fol. 177. von ihm geführten unchristlichen und gottestätterlichen Reden, von einem oder mehr dazu erfordernten Geistlichen, sich dergleichen bey Vermeidung anderer Verordnung zu enthalten, zur ernstern Bereuung und Erkänntniß seiner auch hierdurch bezangenen schweren Sünde, Beständigkeit im wahren Christlichen Glauben und Vertrauen auf Gottes Gnade und Barmherzigkeit, mit Fleiß zu unterrichten und zu ermahnen.

§. VIII.

III) Quid autem dicendum est, si iuraturus illo ipso die, quo se purgare iussus, atque adeo paulo ante, quam hunc actum aggreditur, ad sacram synaxin accedere velit, eiusque vsum a Confessionario desideret, an hic concedendus erit? In tortura corporali quidem Iudex petitis hinc annuere non solet, cum probatio innocentiae plerumque hoc medio intendatur, superstitioni vero non sit indulgendum v. BEYERI *Del. Iur. Crim. ad Art. Ord. Car. LIV. n. 34.* Et si dicendum quod res est, nostris temporibus mos ille probandi innocentiam per Corpus Christi seu Eucharistiam, *Concilio Wormatiensi Can. X. & XV.* approbatus, (a) in animis hominum, mulierum certe ignobilium, tam altis defixus radicibus conspicitur,

vt subinde non modo ad eius vsum prouocent, sed ex templo etiam ad criminis suspicionem dimouendam saluari hoc epulo abutantur, & ad illas PLAVTI effectum quadret:

Mulier es, audacter iuras, cuius leuitatis & temeritatis turpitudinem grauiter damnant Theologi HOEPFNERVS, DANNHAVERVS, KOENIGIVS, FRIED. BALDVINVS aliique plures, qui in casibus conscientiae exponendis defudarunt, inter quos placet *Balduini* (b) consilium: hanc prauam consuetudinem vulgi saepius pro concione culpandam esse, quo profanatio illa sacratissimi Sacramenti reptitia minuatur. Sicubi ergo in tortura spiritali Confessionarius eiusmodi intentionem rei superstitione subnixam deprehendat, vel saltem suspicetur, recte dissuadendo illum arcebit a sanctis aris, virum vero pium, religiosum, ab omni errore vacuum, qui seriam agit poenitentiam & reificationem Charitatis, vt Theologi loquuntur, & nouam obedientiam properat ad Communionem Corporis & Sanguinis Christi ante actum iurandi vt admittat nihil impedit, & in eo non solum id, quod officii ecclesiastici ratio postulat, agit, sed eius rei causas quoque reddere vnicuique valebit. Imo in hanc sententiam adducor, vt credam, ad mores corrupti huius & peierantis seculi corrigendos plurimum conducere posse, si solennia admonitionis semper praecedat vsus Sacrae Coenae, & idem illud Constitutione publica ordinaretur. Persuassimum saltem habeo fore tunc, vt plures ex turba ac-

cusatorum pressius in se descendant, mentem suam facinoris consciam noscant, & religionem Sacramenti tum Eucharistiae, tum iurisiurandi purgatorii reformident.-(c) Sed de hoc cogitent Antistites Sacrorum & Legis Iudiciariae.

IV) Ad colloquium priuatum dum sese accingit Clericus, vt ex actorum volumine vel excerptis notitiam certam habeat, necesse est, quo verum iurisiurandi sensum, aut quae in contrariam partem, vel aequiuocam accipi poterunt, exponere cum fructu sciat. Cauendum vero ipsi, ne cum inquisito de eius innocentia, suspitionis legitimae gradu, facinoris facti genere, sententiae damnatoriae iustitia, animaduersionis seueritate verbis concertare suscipiat. Haec enim omnia spectant ad Sacerdotium iustitiae, non verbi diuini, nec ecclesiastes iuraturato iungitur, vt gesta a iudice diiudicet atque defendat, sed vt animae periculum auertat. *Absurdum quoque est, imo etiam opprobriosum Clericis, si peritos se velint ostendere disceptationum esse forensium*, vt cum Imp. IVSTINO in L. XLI. Cod. de Episcopis & Clericis &c loquar. Fatales certe exitus habuerunt causae, in quibus & Sacerdotes & interpretes vtriusque iuris esse affectarunt Confessionarii, quarum exempla, quae dicta confirmant, recensent GOTTLIEB SLEVOGTIVS, (d) HORNIVS, (e) GEORG. BEYERVS, (f) ES. PVFFENDORFFIVS, (g) piget enim adscribere semper verba scriptorum, qui in manibus omnium versantur. Satis est mihi loca lectori indicasse. Reliqua quae Clerico

Clerico vitanda in Colloquio cum reo optime annotavit
 S A M. F R I E D. W I L L E N B E R G. in Sched. *de*
Officio Ministri Ecclesiae erga Condemnatum ad mortem Cap. III.
 quae nostra facere in hoc negotio non dubitamus.

V) Quotiescunque iuraturus maiorem erga certam
 ex ordine personarum ecclesiasticarum fiduciam habet,
 illumque ad hunc actum aduocari rogat, in arbitrio qui-
 dem & iudicis & Confessionarii erit, an desiderio locum
 dare, & cedere velint. Cum vero maiori cum fructu
 laborem ab electo suscipi spes affulgeat, & ad exemplum
 Diui Pauli in *Ep. ad Corinth. I. com. 2. 2.* qui *omnibus factus*
est omnia, ut omnino aliquos seruet, mores componere debeat
 pastor animarum, petito facile annuendum erit. Contra
 ea ubi caussa praegnans adest, quae ministrum ecclesiae
 volentem quoque ab hoc opere arcet, Iudex arbitrari
 debet. Sic in furto a famulo pastoris facto herum non
 adhibendum esse in monendo I C T i Lips. in *Sent. M. Ian.*
 1708. versus Liebertwolckwiz transmissa: Dabey auch
 ein Geistlicher, und zwar nach Gelegenheit dieses Falles, ein an-
 derer, als der Pfarrer des Orts, zu gebrauchen; censuerunt.

(a) Referente *GRATIANO Causs. II. quaest. V.* Licet vero
 huius canonis vsus ne quidem apud Pontificios hodie toleretur,
 sed quae ad indicia Dei olim referebantur, iureiurando exce-
 pto, cessent, cum ab Ecclesia eiusque Pontifice ille Canon pro
 erroneo declaratus sit, v. *THOM. DE AQUINO Part. III.*
qu. 50. art. 6. *BELLARM. Lib. II. de Conciliis cap. VIII.*
SEV. BINIVS in not. ad Conc. Wormat. Tom. III. p. 852.
 quidam tamen ex Patribus Societ. Iesu, certis in casibus admitti
 posse hoc remedium, censent. Ita enim *BRUNO NEVSSER*
 in *Polyanthea sua Disp. XLIII. Quaest. IV. Resp. II. potest quis,*
 inquit,

inquit, in casu grauis necessitatis, ad euitanda grauis damna, quae aliter euitare nequit, nisi communicet, Christum suscipere in testem suae innocentiae, & Resp. III. potest potestas publica aliquem reum suspectum de aliquo scelere adigere, ut in probationem suae innocentiae communicet. Ratio est, quia potest talem adigere ut iuret. Aliud docent Doctores nostrae Ecclesiae iam citati.

- (b) *Lib. IV. de Cas. Confe. C. 9. cas. 3.*
- (c) Notatu dignum legitur exemplum solemnitatis in iurandi actu adhibitae apud ТНВРОСЗ in *Hist. Hung. Cap. 59. Ladislaus ut testaretur, se magni Hunniadis filios in gratiam recipere, utrosque Comites, Ladislaum & Matthaeum, fideli sub iuramento, super sacratissimo Corpore Christi praestito, in fratres adoptauit.*
- (d) *In Disc. Prael. Casuum For qu. 13. p. 27. sqq.*
- (e) *Responso IX. Class. XI.*
- (f) *Diff. de Expedit. Actuum Indie. §. 27. vbi sacerdos verba sententiae: Er thue nun solches, oder nicht, so ergethet dennoch seiner Bestrafung halber, oder sonst in der Sache ferner was recht ist, interpretaturus reum denunciatione poenae. certissima ita ceterum, ut fuga salutem quaerere decerneret.*
- (g) *Introd. in Proc. Crim. El. Luneb. cap. XIX. §. 10.*

§. IX.

Quae huc vsque proposita sunt actum iurisiurandi antecedunt. Nunc ea sequuntur, quae ad actum ipsum pertinent. Admonitio autem, cum reus in loco iudicii purgandi sui causa comparet 1) a *Iudice* tentanda. Licet enim sententia Sacerdotis mentionem faciat, iuridicum tamen non excludit, ut potius primas illi deferat, quod verba, quibus coniunctim adhortatio imperatur, arguunt:

gunt: Nach vorhergehender scharffen Verwarnung vor der schweren Straffe des Meyneydes, wobey auch ein Geistlicher zu gebrauchen, praecedit ergo forensis monitio, quam sequitur ecclesiastica Clerico adiutore, ita quidem, vt actus sit continuus & manu quasi secunda vel tertia, quod olim de Compurgatoribus dicebatur, (a) celebratus. Minus recte vero, quod nonnunquam ex actis iudicialibus cognoui, remoto vel non expectato verbi diuini ministro solus auspicabitur alloquium Iudex. II) Qualem se gerere debeat, qui *iudicis* monentis personam sustinet, vix opus est, vt quaedam monita adiciamus, cum ipsi vbi-que & in omni parte iudicii ea obseruanda sint, quae GABRIEL ALVAREZ DE VELASCO in Libro, qui inscribitur: *Iudex perfectus*, (b) in eo requirit, vt nimirum ei sit vestitus decorus, vultus grauis, vt ipsa figura corporis plena iustitiae grauitatis splendeat, vt se exhibeat sine fastu & elatione seuerum, sine dignitatis praecudio humanum & affabilem, vt grauitas adsit sine affectatione, sine hypocrisis, sine amaritudine temperata, quae metum delinquentibus incutiat, at reuerentiam pariter atque amorem prouocet. Cum vero actus ille, qui cum reo suscipitur, maximi sit praecudicii & periculum animae in eo versetur, an iudex recte moneat, reus autem satis terreatur. Iudex sane tunc omni studio de iis omnibus, quae mouere possunt iuraturum, mediis, cogitabit, scilicet vt quoad externa etiam mores, vultum, locutionem ad promouendum finem, quem intendit, componat, prouideatque ne, quod TVLLIVS

damnat, fermo vitium aliquod indicet inesse moribus.

III) Haec ipsa vero admonitio peragenda verbis propriis & vsitatis, reique agendae bene accommodatis, cuius argumentum vniuersum seu summarium eo redit, vt ad religionem animo iuraturi incutiendam, repraesentet Iudex *a*) statum caussae, *b*) facti circumstantias, testimonia, contradictiones, variationes, & ea omnia quae iurantem suspectum reddiderunt, *γ*) periurii scelus eiusque poenas grauissimas tum a summo Legislatore, tum in Legibus humanis praescriptas, iacturam salutis aeternae, obligationem internam ad exsoluendas poenas pro merito, & satisfactionem, iuxta illud AVGVSTINI *cap. I. X. de Crimine falsi: falsidicus tribus personis est obnoxius: primum Deo, cuius praesentiam contemnit: inde Iudici, quem mentiendo fallit, postremo innocenti, quem falso testimonio laedit, reliqua omnia, quae circa hanc adhortationem eius, formulam, tempus, ritus, eorumque explicationem obseruanda sunt a Iudice, pluribus exponit laudatus HEILIVS in *all. Tract. Cap. IV. §. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV.* qua in re cum nobis otium fecerit, ad illum Lectorem remittimus. (*c*) Vnicum addimus, hanc admonitionem de vitando peccato periurii non superficialiam esse, aut solennitatis tantum gratia adhiberi, sed ex iusto pietatis zelo proficisci debere. Nec omittenda quoque de cauendis praecudiciis, verbis simulatis & aequiuocationibus, quae mendacia mentis audiunt, seria monitio, quod nempe ex animi sententia ad mentem deferentis iurandum sit, atque periuri fiant, qui seruatis ver-*

bis

bis expectationem eorum, quibus iuratum est; decipiunt. (d) Cogitandum quoque de eo, quod in iurando nimium quantum valeret, si articulus ille iuramenti fidelitatis, quod in Regno Magnae Britanniae praestatur a subditis, (e) nostris quandoque infereretur formulis: *Haec omnia plane & sincere agnosco & iuro iuxta expressa verba per me hic prolata & iuxta planum & communem sensum & intellectum eorum verborum, absque vlla aequivocatione aut mentali reservatione vel secreta euasione quacunque.* Caeterum vbi certa verborum forma, admonitionisque modus recepta sunt, illa praelegendo recitanda, quod pluribus in locis, & iudiciis obtinere autor est MARTINI (f) sed enim ea, quae in vnaquaque causa indicium faciunt, iungantur. IV) Iam porro quod ad personam iurantem attinet, officium Iudicis admonentis in eo versatur, vt qualitatem, conditionem, sanitatem, sensus, animum comparentis obseruet. Sic Nobilis & rusticus non vno, sed diuerso tempore monendi, v. R V T G. R V L A N D *de Commissariis Lib. II. P. II. Cap. 12. n. 13.* de ebrietate, aut iracundia suspecti interim arcendi, in eo, qui per intervalla atra bile laborat, vultus, mores, gestusque haud negligendi sunt, (g) si masculino & foeminae iniunctum purgatorium, *vis* prius monendus erit, cum in illa maior leuitas & periurii metus concurrat. S E T S E R V S *de Iuram. L. III. Cap. XI. n. 27.* C A R P Z. *P. I. Const. 22, def. 18.* Pariter cum membra quaedam Collegii vel Vniuersitatis nomine iurant saluti illis est, vt reliqua ex corpore arcessantur, vt admonitionem au-

sculent, actumque iurandi videant. PILEI *Quaest. I.* Reum quoque admonendum non nisi stantem, nec gladio cinctum admittat, qui iudicis locum tenet. Hoc enim exigit, & eius reuerentia & fori actusque religio. (b) Quamquam alias cum *Excell. LEYSERO* dicendum, rem merae facultatis esse, cum gladio aut pallio Iudicii locum frequentare in *Medit. ad Pand. Spec. 462. Tom. VII. p. 247.* De viris honestioris Conditionis tenendum adhuc est, illos apud inferiores Iudices iure postulare, vt solennia alias in actu iurandi & admonendi consueta omitantur, adeoque ne aperiantur ianuae, vbi illud obtinet, quod confirmat sententia Scab. Lipf. ad Dn. RIVINI *Enunc. VII. Tit. XXXII.* relata, aliaeque plures. (i) Denique vbi admoniti vultus & membra tremebunda angorem produnt vel ad eius preces vel proprio motu magistratus dilationem iurandi concedere potest ac debet, quo ad sanioris mentem tandem redeat suspectus & pertinax. Conf. I. S. STRYCKIVS *de Officio Iud. circa peier. §. XXV.* V) Cum saepius quaestio incidat an Aduocatus, imo etiam Denunciatus, aut alius cuius interest, in actu admonitionis adesse, idque iure postulare queat, dicendum quid sit, videamus. In causa civili quidem si iusiurandum delatum, purgationis, aut diffensionis praesente Clerico praestandum, pars aduersa cum aduocato etiam ab actu admonitionis vix remoueri poterit, cum illius maxime interfit, qua mente, eiusque declaratione, aut reseruato iurare velit aduersarius. Idem vero in causa delictorum, leuiorum quoque, & ille, qui denun-

denunciauit, & patronus, qui illi assistit, satisfactionem crepans, affectare haud potest, licet in causa stupri, vbi priuatum interesse vrgebat stuprata, eam volentem in eiusmodi actu purgationis admittebant Scab. Lips. in Sent. ad Iud. Hopfgarten. M. Nou. 1716. transmissa, aduocatis vero aditum abnegarunt saepius, qui ius dicunt v. Dn. BOEHMER. in *Iur. Eccles. Prot. Lib. I. Tit. XXXVII. §. II.* & Dn. RIVIN. *Enunc. XXII. Tit. XXVIII.* quod etiam in causa hic Lipsiae coram iudicio, quod Praetor Vrbanus exercet, agitata vbi iusiurandum diffessionis B. iurare volebat, ante annum & quod excurrit pronunciatum fuisse recordor.

- (a) Notissima sunt, quae de septima manu, siue adhibitis septem testibus Coniuratoribus, qui Iure Feudali Sacramentales audiunt, apud Iureconsultos in Commentariis in libros Feudorum & Canonum conscriptis passim leguntur. Sed etiam manu secunda vel tertia iuratum fuisse, docet Priuilegium Campidonense Ludouici IV. *Wer ein schädlich Mensch für ir Bericht antwort, und die gewar Schuld uf ihn geschoben wird, mag der Kläger denn überkommen mit iury unversprochenen Mannen, daß sein Hand die dritte ist, mit gelehrten Abye &c.* v. EBELINGLI *Tr. de Prouocatione ad Iudicium Dei C. II. §. V.* Manus vero denominatio numero Testium attributa ex eo videtur, quod *porrectis manibus*, tactis nimirum vel aris, vel reliquiis, iurent. v. BALVZ. *Capitul. Tom. II. p. 923.* vel potius, quod in actu iurandi manus superimpositae manibus conspicerentur.
- (b) *Rubr. I. n. 6. Rubr. V. n. 7. Rubr. VI. n. 2.* quibus iunge, si placet, ea, quae CLAVDIUS CANTIVCVLA & PAVLVS XAMAR *de Officio Iudicis* late tradunt.
- (c) Plura vide apud VINC. MANCINVM *de Iuramento eiusque vi & effectu Parte VII.* VOLCKMANNVM *Emend. P. I.*

cap. 79. quem potissimum consulere sciunt Indices in hac re nondum versati. GRANZIVM in *Def. Inquis. Parte II. Cap. VII. m. 3. §. 128. seqq.*

- (d) Non patitur instituti ratio, vt extra hos cancellos, quos nobis ipsis circumdatos agnoscimus, egrediamur, & pessimam hanc quorundam sententiam confutemus: *iurantem alio sensu, quam alter intelligit, non obligari, nisi iuxta suum sensum*, cuius asserti defensionem in se suscepit THOMAS DEL BENE in *Tr. de Iuramento Cap. I. Dubit. XV. & passim*, sed saniora tradunt MANCINVS d. *Tract. P. I. quaest. IX.* FRANZKIVS *Resolut. II. Lib. II. cap. II.* STRYKIVS *de Iure sensuum Diff. IX. cap. III.*
- (e) Vid. *Parcebolae sive excerpta e Corpore Statut. Vniu. Oxoniensis anno MDCXCI.* edita post pag. 230.
- (f) Ad *Ord. Proc. Sax. Tit. 20. §. 3. n. 91.* conf. WEGHORSTI *Ius Danicum p. 631.* *Zeilsche Gerichts Ordnung p. 157.*
- (g) In hoc casu ICTIS Vitemberg. *mensis Febr. 1730.* oblato contra Hanßen Heinrichen ita pronunciarunt: *So wird Inquisit nochmahlen vor Gerichte gefordert, und ihm in Gegenwart eines Geistlichen ernstlich und beweglich zugeredet, die Wahrheit zu bekennen, dabey auch auf seine Reden und Aufführung genaue Achtung gegeben. Daserne er nun kein Zeichen eines verrückten Verstandes von sich blicken lässet, gleichwohl bey seinem vorigen Läugnen beständig verharret: So wird er zum Reinigungs- Eyde gelassen etc.*
- (h) De^o Constantino Magno EVSEBIVS in *eius vita Lib. IV. cap. 33.* refert, ipsum homillas stantem auscultasse, ratus, pium & religiosum esse, vt de rebus diuinis concionantes stantes audiamus, de Honore vero sedendi magistratum & necessitate standi litigantium & aduocatorum apud Romanos vide, quae docte congescit *Ampl. OTTO de Iurisprud. Symbol. Exerc. II. cap. 18.* De gladii vsu in Iudiciis & Principum palatii prohibito v. MENOCH. *de Arbitr. Iud. Quaest. Lib. II. Cent. IV. Caf. 394. n. 35. 38. seqq.* TIRAQVELL. *de Nobil. cap. XXVI. n. 73. 74.*

- (i) *Menf. Febr. 1711.* coram Iud. Reichenbach. cum L. Müller in Defensione de arcenda plebe exciperet, assensum Dicafterii impetrabat in eo, Es ist aber der Zulauf des Volcks, und daß außer denen zum Gerichte gehörigen Personen auch andere Leute solchem Actui mit beywohnen mögen, nicht zu verfiatten.

§. X.

De *Iudice* hactenus. Nunc ad *Clericum* veniamus, & ad ea, quae ipsi circa admonitionem ipsam, eamque publicam & solennem incumbunt. Licet vero satis ampla dicendi copia adsit, percurram tamen breui. I) Ecclesiae Ministri, qui causae reum, seu inquisitum a metuendo periurio praemouere ac reuocare debet, est, vt iuranti in genere, quid, & quanta res sit iuramentum, quodque ad eius veritatem vitandumque periurium necessario requiratur, exponat, quippe ad mentem & verba deferentis, minime vero sui ipsius iurandum esse, nec reservationes sic dictae mentales hic locum inuenire: causam porro, statum eius, circumstantias, accusationem, responsiones, suspicionem, & quae sunt alia, quibus ex actis antea edoctus satis, consideret, ac omnia singulaque iurisiurandi momenta plana reddat atque perspicua: In specie vero si iurantis vitae genus antea actae, vel per se, vel per alios, fide tamen dignos, habet cognitum; hoc amplius eius conditionem, negotium, fata, si quae sint nota, aetatem, corporis constitutionem, temperamentum imprimis, & quae eius generis alia sunt, spectet, ac bene obseruet, ad quae singula gradus admonitionis sunt adhibendi, ne rigidiore censura, atque

atque inde exortis conscientiae dubiis, a iuramento iusto, timore periurii, iuraturus deterreatur, nec nimia lenitate admonitionis, ac leuitate, eo durior reddatur ac pertinacior, atque ita periurii, quod rem nullius aut saltem parui momenti existimet, reus fiat. Quibus vero argumentis uti possit ecclesiastes, piam & doctissimam instructionem suppeditat qui Columnen nostrae Academiae quondam fuit, Theologus celeberrimus GODOFREDVS OLEARIVS, in *Collegio Pastoralis P. I. Cap. XXII. pag. 227. seq.* quibus iungi possunt, si placet, tradita apud IOH. GVNTHERVM *Antistitem Lipsiensem in Colleg. Past. n. XXIV. p. 197.* & PAVLVM STOCKMANNVM *de Iuram. & Peri. P. I. cap. VIII.* II) Temporis ratio habenda est, ut intra semihorae spatium ad summum sermo adhortationis ad finem veniat, nisi aliud personae delinquentis conditio aut inquisitionis nodi difficiles & tricae deposcant. Specimen admonitionis praegravatae haec nostra Ciuitas habuit per aliquot annos cum reo homicidii Johann Gottfried Wittichen, cui poena ordinaria, vltimi nempe supplicii, duabus sententiis dictata, quam ille quidem minime perhorrescebat, defensionis tamen sollicitudine eliciebatur sententia Ictorum Vitemb. quae moderamen inculatae tutelae mediante tortura spiritali probandi licentiam & arbitrium ipsi concedebat, in quo inuestigando nequicquam cessabant curae & monita continua tum iudicis, tum ministri verbi diuini, cuius admonitiones nonnunquam ultra horam durabant, reus vero raro exemplo nihil minus, quam ad iuran-

iurandum procliuis tandem vitae, carceris, quaestionum pertaesus ineluctabile dicebat Sacramentum, poena fustigationis dictata. (a) III) Fieri quandoque solet, vt in actu ipso Sacerdos desistat ab opere coepto, vel quod erroneam habeat conscientiam, & peieraturum reum credat, vel ex alia causa, & tunc quidem iuramentum pro praestito declaratum esse refert P V F F E N D O R F F I V S in *Introd. in Proc. Crim. Lun. Cap. XIX. §. 10.* ipse dissentiens. Hoc autem ad Casus conscientiae referri sciō, cum idem ille, qui reo a Confessione est, & sub eius sigillo audiuit vera esse, quae in actu abiurare vult, monitor & testis quasi periurii adest, nec rei notitiam iudici indicare debet, quam quidem Confessionem palam facere non dubitauit pastor ille, cuius mentio fit ap. HORNIVM *Resp. IX. Classe XV.* sed vereor, vt recte fecerit. Conf. BOEHMERI *Ius Eccles. Prot. Lib. II. Tit. XXI. §. X.* IV) Missis reliquis, quae ad dicendum parata sunt, coronidis loco de eo quaeritur: An in actu admonitionis requiratur Pastophorus, siue Pastor pallium ferens sacerdotale? quod affirmandum puto. Licet enim non habitus sed vita ac mores sacerdotem faciant, *τ. 1. dist. 40.* ad actus ministeriales tamen exercendos non alio nisi sacerdotali veste incedere debet minister Ecclesiae, vt adeo recte fecerit Director iudicii in pago vicino, qui nuperrime pastorem non prius admittere voluit, nisi veste Concionatoria ornatus rediret.

(a) Prior Sententia ICt. Vitemb. Bey solcher Bewandniß wird Inquisit Wittich nochmahlen vor Gerichte gefordert, und ihm nebst

Zuziehung eines Geistlichen ernstlich zugeredet, Gott und des Obrigkeit zu Ehren, und zu Beruhigung seines Gewissens, seine bey Zufügung des tödlichen Stichts geführte Gedanken wohl zu untersuchen und zu entdecken, sodann aber frey gestellet, sich vermittelst Eydtes zu reinigen; 1c. Posterior Sententia Scab. Lips. Bey solchen sollen aber auch Inquisiten mit anderweitiger Zuziehung eines Geistlichen, alles Ernstes und umständlich, zwar an einer Seite seine Pflicht und sein zeitlich Leben, soweit es ohne Verlesung des Gewissens geschehen kann, zu erhalten, an anderer Seite aber auch der schwere Verlust des ewigen Wohls, darein er sich durch einen Meyneyd stürzen möchte, zu Gemüthe zu führen, und daß er, zu Beruhigung seiner Seele, ohne fernern Aufenthalt seine aufrichtige Erklärung thun solle, anzumahnen 1c.

§. XI.

Actu admonitionis finito non quidem a Iudice, ut ipsissima huius colloquii verba ad acta consignet, exigitur, sed generaliter quaedam annotare sufficit, in quo consentientes habeo *ICTos Vitemb.* referente B. HORNIO *Resp. LXX. Class. XV.* cuius responsi verba excerpta dabo: ex Rat. Dub. Hiernächst in der Registratur sub ☉ was der Richter und Geistliche vor Admonition eigentlich gebrauchet, nicht enthalten 1c. ex Rat. Dec. Hierüber die Formalia der gebrauchten Admonition in die Registratur zu bringen nicht eben nöthig gewesen 1c. Clericus quoque sibi temperabit, ut ne peieratum fuisse iurato obilciat, aut pro concione certo affirmet. Hoc enim conscientiae admoniti & iudicio diuino committendum esse cogitet, Ita etiam tutus erit aduersus incommoda, quae hodie verbi diuini ministris, qui elencho abutuntur, & affectibus indulgent, obueniunt.

§. XII.

§. XII.

Reliquum est, vt de HONORARIO quaedam in medium afferam. Iudex quidem in terris Electoratus Saxoniae ex dispositione ordinationis, quae sportulas definit, praeter laborem, quem in conficienda registratura adhibet, nihil exigere posse videtur pro actu ipso admonitionis cum Clerico peractae. Sed mea, sententia, liquido non constat, quantum petere liceat. Quae enim *Tit. III. d. Ord. n. 126.* praescripta sunt, ad causas ciuiles pertinent, vbi breuis admonitio, Clericus raro adhibetur, quae autem sequenti *n. 202. Tit. V.* summa est concessa causam inquisitionis certe concernit, ad simplicem & minus solennem vero admonitionem referri probabile est, vt adeo ipsius Legislatoris Potentissimi declaratio authentica expectari debeat. Interea si iuraturus quaedam confiteatur, aut mentem, & factorum seriem longo anfractu recenseat, eorum omnium annotatio maiori mercede digna habenda est. Idem dicendum de notata actorum communicatione vel copia. Quod si plures adsunt admonendi, vno quidem alloquio res perficitur, sed pro singulis solidum soluendum est vi rescripti regii, cuius copiam mox adiungam. Honorarium *Clerici* admonentis eadem Lege expressis verbis *n. 203.* ordinatum esse constat. Verum enimvero annon pro numero plurium, quibus admonitio fit, duplicatum honorarium iure petere liceat, dubium videbatur, donec ad preces querulas pastoris cuiusdam Rescripto Regio anno MDCCXXVII.

ad *Praefect. Schwarzenb.* emisso, vt pro singulis iuraturis sedecim grossi exfoluendi sint, decifum fuerit, in quo etiam communicatio actorum imperata. (a) De eò tamen inter Dominum Iurisdictionis & Pastorem Ecclesiae in pago *Grosstädteln* dissidium ante aliquot annos ortum fuisse relatum mihi est, quod antecapere volebat. pecuniam pastor, priusquam ad locum iudicii accederet, & caussa ad Consistorium Lipsiense deuoluta, maxime improbata est haec sollicitudo nummaria. Accidit enim quandoque, vt reus vel solo aspectu Confessionarii sui moueatur, & ante admonitionem vera dicat, vel comparere detrectet, aut si apparet, iterum de loco recedat, tum vero neque admonitore neque mercede opus esse videtur, quanquam & his casibus in compensationem praeparationis peti aliquid honorarii posse existimauerint *Dicastra*, & quidem *Lipsiensia* totum, *Vitembergensia* partem dimidiam. Caeterum quo loco in Concursum Creditorum huiusmodi praestations poni possint & an eodem cum decimis & reliquis stolae iuribus priuilegio gaudeant, in disquisitionem venit. Putarunt hoc Icti Lipsienses in sententia Locatoria, quam exhibet B. M E N C K E N I V S in *Com. ad Ord. Iud. Sax. Tit. XXXIV. §. 71. p. 292.* & inter onera realia locum assignarunt residuo honorario. Sed haec iura stolae accidentalia neque ad salarium, neque ad onera realia referri posse putauerim. Reliqua quae huc pertinent in priori Dissertatione Dn. P R A E S I D I S, quam saepius citavi §. X. iam pertractata esse video, quamobrem filum abrumpo, sed *Ludi-*

magister aurem vellit & admonet, se ordini Clericorum adscriptum, nec laborem gratuitum fore in apportandis sacrosanctis euangelis, cruce, & panno atro ad locum Iudicii conqueritur, cui aures faciles dabimus & praemii loco didrachmum ex sententia Collegiorum largimur.

- (a) Aus des Pfarrers zu Schwarzenbergk, Johann Leonhardt Heubners, hierbey befindlichem Supplicato erschet ihr mit mehrern, wie sich selbiger beklaget, daß ihm, wenn er zur Ablegung des Iuramenti purgatorii eines Inquisitens mit gezogen würde, und deren jezweilen zwey, drey, und auch noch wohl mehrere zusammen schwören müssen, dafür aus dem Amte nur 16 gr. überhaupt gereicht werden wolte, wie ingleichen auch die dießfalls ergangenen Acta ihm zur nöthigen Perlustration vielmahls nicht zu rechter Zeit vorhero communiciret und vorgeleget würden, samt dem, was er darneben weiter angeführet und gebethen; worauf hiermit unser Begehren, ihr wollet selbigen sowohl die, in Unserer Neuen Sportul-Tax-Ordnung für ieden dergleichen Actum gesetzte Gebühr, von denen 16 gr. auf obigen Fall, besonders, und so viel Personen schwören müssen, künftighin bezahlen und reichen lassen, als auch derer Acten Vorlegung halber in Zeiten vor dem Termin das Nöthige behörig verfügen. Daran 2c. Datum Dresden am 29 Aug. anno 1727.

T A N T V M.



COROLLARIA.

- I. *Vt turba Aduocatorum ad certum numerum restringatur, expedit reipublicae.*
- II. *Seruitus Christianae Religionis principiis non repugnat, quam introducere e republica foret.*
- III. *Vsurae Cambii semisses a Clerico debitore licet promissae sint, quincunces saltem peti possunt etiam post eius mortem vel remotionem.*
- IV. *Iudex litigantes monere potest priuatim de die termini vel fatali ad finem ruentibus.*
- V. *Qui pecuniam alicui mutuo dat in monetae genere, cuius prohibitionem iam instare nouit, debitori eius rei inscio de hac reticentia ad id quod interest, tenetur.*
- VI. *In homicidio dolofo liberi contra occiforem ad alimenta praestanda recte agunt.*

V I R O
PERILLVSTRI, GENEROSISSIMO
EXCELLENTISSIMOQVE
DOMINO
CVRT FRIEDERICO
DE SCHOENEBECK

DYNASTAE IN RINGWALD-NONNENDORFF
KEHRBERGK &c.

POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS
ET ELECTORIS SAXONIAE SVPREMO
EXCVBIARVM MILITARIVM, QVAE CVSTODIAM
REGIAE MAIESTATIS HABENT, PRAEFECTO,
SERENISSIMI DVCIS SAXONIAE QVERFFVRTENSIS
CONSILIARIO INTIMO, CAMERAE PRAESIDI
FIDISSIMO

DOMINO AC MAECENATI
SVO INDVLGENTISSIMO

LIBELLVM HVNC ACADEMICVM
NVMEN PROPITIVM
VITAM FELICEM
VALETVDINEM PROSPERAM
RES EX VOTO EVNTES
ANIMO
PIO GRATO DEVOTO
PRECATVS
SACRVM ESSE IVBET



OTTO IACOBVS WOLFF
FREYB. THVR.